

serm. de Pœnit. homines hortetur, ut acturi pœnitentiam, oculos in solam speciem virtutis, nequaquam autem in pœnas peccatorum conjiciant : nam qui peccatorum sordibus assuevit, non illico movetur ad virtutis speciem.

*Inst.* Ergo saltem timor serviliter servilis inordinatus est et malus, secundum doctrinam Patrum.

*R. D. Illat.* Timor serviliter servilis, intrinsece, secundum se, et quatenus absterret homines ab actione externa peccati, est inordinatus et malus *N.* extrinsece secundum affectionem ad peccatum, quam adhuc compatitur, malus est *C.* Est malus, inordinatus, carnalis et servilis, quia est hominum malorum et inordinatorum, carnalium et servorum : non autem est intrinsece malus, quia timor gehennæ est. Nam quod absterret etiam ab extrinseca solum actione peccati, neque inducit ad peccatum, non est malum : atqui timor iste cohibet ab extrinseca actione peccati, neque inducit ad peccatum ; ergo malus non est. Quod autem homo talis magis timeat pœnam quam culpam, et malit adhuc peccare, non oritur ex hoc timore, sed ex affectu ad peccatum, qui adhuc animo inhæret, et cui expellendo timor iste nimium infirmus est, nec ideo in se malus, sed minime omnium bonus est : bonus tamen adhuc, quia lege divina et humana hic terror incutitur iis, qui necdum ratione et virtutis amore duci ad officium volunt ; ut saltem externa abstinencia a criminibus, vel non contrahant aut augeant habitus pravos, vel contractos longa cessatione nonnihil desuescant, atque ita idonei magis efficiantur ad studia virtutum. Ita Bellarminus *L. 2. de Pœnit. c. 17. et 18. ad Obj. 5.* ubi laudat illud Gregorii *M. in c. 1. Cantic. dicentis : Recti diligunt te : non recti adhuc timent te.*

### ARTICULUS III.

AN AD EFFECTUM SACRAMENTI POENITENTIAE PERCIPIENDUM NECESSARIO REQUIRATUR CONTRITIO PERFECTA ?

158. *Nota I.* Petrus Lombardus in *4. Sent. d. 18.*, S. Bonaventura *ibid. art. 2. q. 1.*, Hugo et Richardus Victorini, Alexander, Gabriel, Major, Medina, et nonnulli alii existimabant, motum contritionis verum et perfectum ita ad sacramenti hujus susceptionem esse necessarium, ut, si pœnitens eo destituatur, sacramenti etiam effectu fraudetur, quamvis putet se vere esse contritum, neque in sacramenti susceptione quidquam peccaverit. Hi nimirum negant, potestatem clavium extendi ad remissionem peccatorum mortalium.

*Nota II.* Sententiæ hujus austeritatem mitigare studuerunt Henricus quodlib. *1. q. 32.*, Cajetanus *q. 84. a. 3.*, Ferrariensis *L. 4. cont. Gent. c. 72.* et alii quidam dicentes, perfectam contritionem esse per se quidem necessariam ad sacramenti effectum percipiendum ; sufficere tamen quandoque solam attritionem ex parte pœnitentis, qui se putat esse contritum, eo quod sacramentum faciat, ut actus ex attritione transeat in contritionem, vel perficiendo eundem actum, vel efficiendo ut homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum ; vel etiam per solam habituum infusionem pœnitens ipse ex attrito evadat æquivalenter contritus. Quod ultimum

tenuerunt Franc. Victoria in *Relect. de potest. Eccles. q. 2.*, Sotus *L. 2. de Nat. et Grat. c. 15. et in 4. d. 18. q. 3. a. 2.*, Ledesma et alii quidam.

*Nota III.* Denique S. Thomas et complures Theologi, quos infra memorabimus, tradunt, veram peccatorum attritionem sufficere ei etiam, qui scit se non esse perfecte contritum.

159. *Dico.* Ad Pœnitentiæ sacramentum cum fructu percipiendum non opus est contritione perfecta, sed sufficit attritio sola, etiam cognita ut talis.

*Prob. I.* Christus *Matth. 16.* dedit claves Petro, et in eo cæteris episcopis et presbyteris. *Matth. 18. et Joan. 20.* dedit Apostolis et ipsorum successoribus potestatem solvendi et remittendi peccata, hoc est, instituit Pœnitentiæ sacramentum, quo fideles post Baptismum lapsi expiantur a suis peccatis, ut fatetur tota Ecclesia, docetque Concil. Trident. *Sess. 14. c. 1. et can. 1. et seqq.* Ac S. THOMAS etiam ait, sacramentum Pœnitentiæ esse medicinam, qua peccati mortalis febris tollatur. Atqui est plane absurdum, dari alicui claves, queis nemini aperire possit fores oclusas : impertitam potestatem judici, qui absolvere neminem possit : facultatem remittendi peccata collatam presbyteris fuisse, qui peccatum nunquam remittant : constitutum esse sacramentum reconciliationis, quo nullus in æternum reconcilietur : indicatam medicinam pro febricitantibus, qua nemo nisi sani utantur ; quæ quidem manifesta absurditas contingeret, si sola contritio perfecta ad recipiendam absolutionem sufficeret ; ergo non hæc sola sufficit ad gratiam primam in sacramento recipiendam, sed sufficienter etiam ad gratiam hanc suscipiendam disponit contritio imperfecta.

*Prob. II.* Si ad hujus sacramenti valorem opus esset contritione perfecta, requireretur dispositio, qua ordinarie carent pœnitentes : atqui hoc cogitari non potest, quod sacramentum istud plerumque nullum sit ; ergo. *Prob. seq. Maj. Sess. 14. c. 4.* ait TRIDENTINUM : *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat* : S. AUGUSTINUS *epist. 180. (al. 228. n. 8.)* ad Honoratum scribit, magnum exitium sequi eos, qui de hoc seculo exeunt vel non regenerati, vel ligati. Ergo sentiunt, pœnitentes plerumque perfecta contritione carere. Ac ratio ipsa suadet : nam licet catechumeni plerique ante Baptismum, et pœnitentes ante Confessionis sacramentum diligant Deum ; nondum tamen tam puro in ipsum amore afficiuntur, qualis contritionem perfectam reddit.

*Prob. III.* Salus morientium ita pendere potest a sacerdotis absolutione, ut hujus defectu quandoque damnentur : atqui hoc falsum esset, si perfecta contritio omnino et absolute ad absolutionem requireretur : nam si illa adesset, sine absolutione pœnitentes salvarentur ; si abesset, etiam cum absolutione damarentur. Ergo contritio perfecta eaque sola non omnino et absolute ad hoc sacramentum requiritur. *Maj. autem prob.* tum ex laudata nuper S. Augustini epistola, tum ex *c. 2. epistolæ Cælestini Papæ ad episcopos Viennensis provinciae (Labb. t. 2. p. 1619. E.)* ubi sacerdotes in articulo mortis absolutionem pœnitentibus negantes, ait, mortem æternam eis addere, et animas interficere : tum ex sensu totius Ecclesiæ, in qua, ut docet Conc. TRIDENT. *Sess. 14. cap. 7.*, *Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis ; atque ideo omnes sacerdotes*

quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. Et olim jam in Concilio Carthaginensi III. can. 34. (Labb. t. 2. p. 1172. A.) jubentur omnes ægotantes in mortis articulo baptizari vel absolvi, modo aliorum testimonio constet, hæc sacramenta ab eis expetita fuisse. Citaturc. *Ægotantes*, de Consec. d. 4. Plura adhuc in rem istam Patrum et Conciliorum aliud, quam testimonia coacervat Gratianus Causa 26. q. 6. Denique si absolutio nihil sit declaratio peccatorum contritione perfecta jam remissorum, cur fideles morituri tam sollicitè sacerdotis absolutionem flagitant?

*Prob. IV.* Idem Concilium TRID. cap. 4. docet, attritionem quidem sine sacramento perducere peccatorem ad justificationem non posse; tamen eum ad gratiam in sacramento disponere. Ergo Concilium censet, attritionem esse dispositionem ultimam per se sufficientem cum sacramento ad consequendam justificationem. Consequentia patet; nam paulo ante dixerat Concilium, *omni tempore necessariam fuisse contritionem ad impetrandam veniam peccatorum*, ubi sine dubio Concilium de dispositione ultima ad justificationem loquitur. Deinde Concilium dicit, attritionem in sacramento aliter disponere ad gratiam, quam extra sacramentum: atqui extra sacramentum disponit ad gratiam remote, ergo proxime disponit in sacramento; ergo sacramentum Pœnitentiæ justificat peccatorem per solam attritionem dispositum.

*Prob. V.* Sicut Baptismus per se institutus est ad homines regenerandos: ita Pœnitentiæ sacramentum per se institutum est ad resuscitandos baptizatos a morte peccati; ac ea propter ambo hæc dicuntur esse *sacramentum mortuorum*; ergo sacramentum Pœnitentiæ ex institutione sua accepit vim conferendi gratiam primam, et expellendi peccatum mortale; ergo ad suam efficaciam non requirit necessario, quod peccatum jam sit expulsum.

*Prob. VI.* Si contritio perfecta semper ad sacramentum Pœnitentiæ requireretur, multo difficilior erit reconciliatio Christianis, quam olim in Lege antiqua fuerat: quod aperte repugnat suavitati Legis evangelicæ et sensui communi Christianorum. Hinc Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus anno 1700. celebratis declarat, *duo ista ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda; primum, ne quis putet, in utroque sacramento (Baptismo et Pœnitentiæ) requiri ut præviā contritionem illam, quæ, sit caritate perfecta, et quæ cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat.*

Sacra autem Facultas Parisiensis anno 1638. kalendis Julii inter alia, quæ Claudii Seguenotii Oratoriani notis in S. Augustini librum de Virginitate notavit, de thesi præsentē ita pronuntiat: *Quæ tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta caritate necessitate ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, et quæ addit, et approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, et censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi et omnino tutæ præxi Ecclesiæ contrarias, efficaciam sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, et insuper temerarias et erroneas.* Seguenotius vero caritatem non intensive et ratione gradus perfectam, sed eam, quæ ex motivo suo proprio et formali vera sit et perfecta, intelligit: prout manifeste patet ex notis ejus ad cap. 38. pag. 113., ubi motivum timoris gehennæ opponit motivo perfectæ caritatis.

160. *Obj. J.* Concilium TRID. docet, attritione tantum impetrari, non vero effici gratiam in sacramento; ergo juxta doctrinam TRIDENTINI attritio est tantum remota dispositio ad gratiam; impetrando videlicet gratiam contritionis, qua homo justificetur.

*R. N. Cons.* Concilium impetrationis nomine intelligit efficientiam moralem propriam, quam exercet ut pars sacramenti; nam eodem vocabulo impetrationis veniæ utitur, cum de contritione perfecta sub capitis initium disserit. Deinde si attritio tantum esset infallibilis dispositio ad contritionem, ergo quilibet attritus in sacramento Confessionis eliceret ex opere operato certo et infallibiliter contritionem, tanquam effectum sacramenti; hoc autem est contra experientiam. Præterea repugnat, ut actus vitalis liber sit effectus ex opere operato sacramenti productus. Ad hæc aliter attritio disponit ad gratiam in sacramento, quam extra illud: atqui jam extra sacramentum potest impetrare contritionem; ergo in sacramento disponit proxime ad gratiam sanctificantem, tanquam sacramenti pars, ut hic a Concilio TRIDENTINO nuncupatur. Denique, dum Concilium dicit, attritionem in sacramento disponere ad gratiam, comparat illam cum contritione, quæ omni tempore necessaria fuit ad veniam impetrandam: atqui contritio semper fuit ultima dispositio ad gratiam; cum nullius propioris dispositionis mentio a Concilio fiat.

*Inst. 1.* Patres Concilii TRIDENTINI ex decreto sibi exhibito expunxerunt hæc verba: *Contritionem imperfectam... etiam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem*: atqui quæ expunguntur et corriguntur, non approbantur; ergo secundum mentem Patrum Tridentinorum contritio imperfecta non sufficit in Pœnitentiæ sacramento ad gratiam recuperandam.

*R. D. Assumpt.* Quæ expunguntur, non approbantur in sensu, quem verba expungenda aliquando præferunt *C.* non approbantur in sensu alio, quem verba commodiora substituta indicant *N.* Non est propria locutio, quod attritio sufficiat ad sacramenti constitutionem, cujus aliqua pars materialis tantum est. Deinde noluit Concilium sententiam Scoti aperte proscribere, qui in sola absolutione hujus sacramenti essentiam statuit. Igitur commodius dicitur attritio ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere: quæ verba eundem, quem nos tuemur, sensum habent, et leguntur citato cap. 4. Sess. 14.

*Inst. 2.* Ideo correctum fuit decretum, teste Pallavicino L. 12. c. 10. *Histor. Concil. Trid.*, quod Episcopus Tudetanus monuerit, variare sententias Catholicorum circa sufficientiam attritionis: Concilium autem agens tantum contra hæreticos, noluit definire quidquam Theologis catholicis contrarium; ergo ex Concilio non potest peti argumentum pro attritione.

*R. D. Assumpt.* Concilium noluit aliquid contrarium Theologis catholicis definire directe et immediate *C.* indirecte et mediate *N.* Concilia necessario sæpe emendarunt opiniones Theologorum catholicorum, connexas erroribus hæreticorum. Ita sententia illorum, qui cum Magistro dicebant, absolutionem esse tantum declarationem peccatorum remissorum, rejecta fuit a Concilio Florentino et Tridentino: quod quidem minime acquievit Tudetano, qui contendebat, contritionem perfectam semper ad absolutionem peccatorum in sacramento requiri.

*Inst. 3.* Idem Concilium Sess. 6. cap. 6. inter dispositiones ad Baptismum

enumerat dilectionem Dei; ergo eadem dilectio requiretur tanquam dispositio ad effectum sacramenti Pœnitentiæ obtinendum.

R. D. Ant. Concilium enumerat dilectionem Dei puram et perfectam N. dilectionem Dei inchoatam et necdum perfectam C. Verba illa : *Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt*, rem satis loquuntur.

Inst. 4. Concilium ibidem requirit propositum servandi mandata divina, quorum primum et maximum est pura Dei dilectio; ergo hanc ad omnem conversionem exigit.

R. D. Cons. Concilium ad omnem conversionem requirit dilectionem puram virtualiter, implicite objective C. requirit puram dilectionem formalem N. Observatio mandatorum objectum est hujus propositi, ergo re ipsa ab hoc distinguitur.

Inst. 5. Sess. 14. cap. 4. Concilium requirit ad effectum sacramenti contritionem, quæ fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam veniam : atqui hæc est contritio perfecta; in lege enim veteri non justificabat alia; ergo.

R. D. M. Requirit, quovis tempore necessariam contritionem sumptam inadæquate, et secundum prædicata generica C. requirit contritionem sumptam adæquate, et secundum prædicatum unum specificum N. Quod vero sub finem capitis dicit, Ninivitas ad plenam terroribus prædicationem Jonæ pœnitentiam egisse, et misericordiam impetrasse, probabilis vult, ipsos tantum a subversione urbis servatos, non autem perfecte justificatos fuisse : hoc enim exemplo tantum utitur Concilium, ad ostendendum, pœnitentiam talem bonam esse, non vero malam, ut criminabantur hæretici.

Inst. 6. Analogum simpliciter prolatum accipitur pro præcipuo analogato, ut patet ex vocabulo panis, quod simpliciter prolatum, pro tritico sumitur : atqui cap. 3. dictæ sessionis dicitur simpliciter contritio esse pars sacramenti; ergo Concilium intelligendum est de contritione perfecta.

R. N. Suppos. min. Contritio æque est nomen univocum intuitu contritionis perfectæ et imperfectæ, atque animal respectu hominis et bestię. Falsum autem est, quod prædicatum de subjecto univoco enuntiatum, præcipuum tantum univocorum afficiat : nam cum dicitur, animal sentit, æque intelliguntur bestię, ac homines. Quod vero vocabulum, panis, plerumque accipitur pro tritico, nihil probat; cum a particulari ad universale trahi argumentum non debeat.

161. Obj. II. S. Joannes epistola priore c. 3. v. 14. dicit : *Qui non diligit, manet in morte* : 1. Cor. ult. v. 22. anathema dicitur non diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum : et cap. 13. actus cæterarum virtutum et Dei dona nihil prodesse dicuntur sine caritate; ergo.

R. Explic. illa testimonia : Qui non diligit Dominum nostrum Jesum Christum, et fratrem suum, τὸ non diligit, accipiendo contrarie, manet in morte, est anathema C. τὸ non diligit, accipiendo præcisive N. Hinc S. Joannes mox subdit : *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*. Quanquam huic objectioni jam satisfactum sit articulo proxime præcedente in resp. ad Obj. 1.

Inst. 1. Ad peccatorum remissionem Deus exigit conversionem *ex toto corde*, ut Deut. 4. v. 29., Joël. 2. v. 12., et aliis locis : atqui attritio non est

conversio ad Deum ex toto corde, talis enim conversio fit tantum ex motivo amoris; ergo.

R. D. M. Deus exigit conversionem *ex toto corde*, h. e. conversionem, qua peccator vere ac sincere crimina sua deploret ac detestetur C. quasi hæc sit sola conversio ex toto corde, quæ ex motivo perfectæ caritatis proficiscitur N. Etiam contritio ex motivis virtutum cæterarum, ipsiusque gehennæ metu vere ac sincere detestatur peccata, eaque vitare statuit. Inficiari tamen non possumus, contritionem imperfectam qualemcumque in veteri Testamento non disposuisse proxime ad gratiam, ubi Pœnitentiæ sacramentum nondum fuerat institutum, et legales expiationes per sacrificia infirmæ nimium erant ad peccata tollenda, ut tradit B. Paulus Hebr. 10. v. 4.

Inst. 2. Auctoritate Patrum, et præsertim S. AUGUSTINI.

R. Patres hortari sæpe ad detestandum peccata ex motivo caritatis Dei, at motiva virtutum cæterarum nequaquam spernere. Sane AUGUSTINUS serm. 1. de temp. non ait, pœnitentiam *solum*, aut *veram*, sed, *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati aut amor Dei* : nam si quis timore pœnæ peccata detestatus, postmodum in se affectus divini amoris non experiatur, merito suspectam pœnitentiam suam habere potest, ne fuerit ex timore illo servili, qui affectum ad peccata non excludit; timor enim ille castus, qui peccati expellit affectum, ideo divinitus inspiratur, ut sensim ad amorem pelliciat. Eodem spectat B. Joannes CHRYSOSTOMUS homil. 4. in posteriorem ad Corinthios (opp. t. 10. p. 464. A.) suadens, ut ingemisamus tantum, quod Dominum tam benignum et nostri amantem offenderimus, non verò, quod pœnas simus daturi, hoc enim nihil esse : nempe timorem illum mere servilem spernit, non ut malum, sed ut insufficientem ad veniam obtinendam, ob affectum peccati, qui illi adhuc adjungitur.

Quanquam Patres subinde solum loquantur de Pœnitentiæ virtute secundum se, quæ utique non consequitur veniam peccatorum sine imperato actu perfectæ caritatis. Ita in libro de vera et falsa Pœnitentia cap. 17. n. 33. (inter opera Augustini t. 6. in appendice) dicitur : *sine caritate neminem salvum esse*. Et B. AUGUSTINUS L. 2. contra Cresconium c. 12. *Mundantur, inquit, peccata... caritate, quæ una si adsit, omnia recte fiunt; si vero absit, cætera frustra fiunt*. Et L. de catechiz. rudib. c. 20. n. 34. *Legem non implet, nisi caritas*. Hæc enim omnia partim de caritate habituali intelligi oportet, sine qua non agitur aliquid dignum æterno præmio, neque diu quis potest consistere, quin legem divinam prævaricetur : partim etiam de actu amoris inchoati sunt accipienda. Evidens autem est, id non potuisse dici ab AUGUSTINO de solo actu perfectæ caritatis Dei; nam sine hoc bonos esse actus justitiæ, religionis, misericordiæ, imo et timoris servilis, fatetur ipse S. Doctor.

162. Obj. III. ALEXANDER VII. decreto edito 5. Maii an. 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetuit censura theologica, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxari sententiam eorum, qui ad justificationem in sacramento actum dilectionis necessarium esse contendunt; ergo juxta mentem summi Pontificis videtur ad fructum sacramenti Pœnitentiæ percipiendum requiri caritatis motivum, quo contritio perfecta reddatur.

R. N. *Cons.* Pontifex prohibet, gravi censura notari ambas sententias, sive quæ negat, sive quæ asserit necessitatem *aliqualis dilectionis* Dei in attritione ex metu gehennæ concepta: caritas autem, qua Deus propter se perfecte diligitur, non est *aliqualis* dilectio Dei, sed caritas Dei perfecta, et dilectio Dei simpliciter, non vero cum particula diminuente accepta.

163. *Obj. IV.* Contritio perfecta refertur necessario ad actum potestatis clavium, remissio peccati per contritionem prius obtenta quasi consummatur; ergo licet ad effectum sacramenti consequendum sola contritio perfecta disponat, potestas remittendi peccata non erit frustra, eo quod ad culpæ remissionem hoc modo operetur.

R. T. A. N. *Cons.* Illa clavium potestas revera nec peccatum remitteret, neque a culpa absolveret, si non haberet actionem aliquam de se expulsivam peccati, sed solum declararet absolutum, aut ab obligatione culpæ pronuntiaret immunem: ut pluribus supra art. 3. cap. 2. docuimus.

*Inst. 1.* Contritio, in quantum pars est et votum sacramenti, remittit culpam; ergo etsi nunquam sine contritione conferatur hic effectus, sufficienter tamen explicatur hoc modo sacramentum Pœnitentiæ cum potestate clavium ad peccati remissionem esse institutum.

R. N. *Ant.* Contritio in dato casu remittit peccata ante confessionem et absolutionem; ergo tantum ex opere operantis, perinde ac olim in antiqua Lege remiserat. Igitur hoc modo potestas clavium et virtus sacramenti non apte explicatur. Nam cum Patres Tridentini Sess. 14. c. 3. præcipuam vim sacramenti Pœnitentiæ in forma sitam esse tradant, sequitur, effectum sacramenti ex opere operato ante non conferri, quam illa proferatur.

*Inst. 2.* Potest accidere, ut et contritio pœnitentis, et absolutio sacerdotis eodem puncto temporis exerceantur; ergo tunc absolutio per se ipsam operabitur ad peccatorum remissionem.

R. T. *Ant.* quod moraliter impossibile videtur, ut actus instantaneus pœnitentis cum oratione sacerdotis simul eodem puncto temporis desinat.

*Ad Cons. R.* Dato etiam tali casu, nihil pro adversariorum sententia conficitur: nam formæ veritas non fundatur in eo, quod contritio cum illa concurrat, sed in hoc, quod ipsa vim habeat peccatorem justificandi; ergo vim illam habet, etiamsi non præsumat dispositionem per se sufficientem ad tollendam culpam. Deinde si perfecta contritio culpæque remissio tanquam dispositio unice necessaria ad actionem et efficaciam sacramenti supponeretur, nullum remedium facilius ad peccatorum remissionem obtinendam datum fuit per institutionem sacramenti, sed potius adjectum fuit onus.

#### ARTICULUS IV.

UTRUM ATTRITIO SINE INCHOATA DILECTIONE SUFFICIENTER PECCATOREM CONFITENTEM DISPONAT AD GRATIAM ABSOLUTIONIS PERCIPIENDAM?

164. *Nota.* Cum Sess. 6. c. 6. Concilium Tridentinum doceat, ad justificationem requiri, ut pœnitentes *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*: Sess. autem 14. c. 4. nulla expressa hujus dilectionis indicatæ

mentionem facta dicatur, quod contritio imperfecta seu attritio peccatorem ad *Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat*; orta est contentio celebris inter Scholasticos, qui perfectam contritionem negant esse necessariam dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ; aliis quidem inchoatam quamdam Dei dilectionem absolute requirentibus ad hoc, ut attritio in Pœnitentiæ sacramento ad gratiam proxime disponat: aliis vero id negantibus.

Inchoata autem dilectio Dei sensu triplici quæstionem præsentem sumi potest. 1º Quando Deus super omnia diligitur propter se etiam ut finis cui, sed actu remisso, nec admodum vehementi, quem affectum Baius, Jansenius alique Novatores caritatem imperfectam nuncupant, et ad gratiam in Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis obtinendam sufficere arbitrantur, nequaquam vero extra sacramentorum illorum usum, nisi forte in casu necessitatis.

2º Alteram Dei dilectionem inchoatam, quæ attritione necessario conjuncta esse debeat, ut peccatorum remissio in hoc sacramento conferatur, laudant Pallavicinus et recentiorum nonnulli, estque ea omnis et sola, qua Deus propter se tanquam finis cui diligitur, sed nondum super omnia: nam etiamsi, inquirunt, divina bonitas creatis omnibus præstet, eisque anteferri mereatur; vere tamen et sincere diligi potest propter se, licet non secundum totam dignitatem et amplitudinem suam. Possumus enim vere ac sincere amplecti motivum aliquod, etsi illud non amplectamur secundum totam suam dignitatem et amplitudinem. In hanc rem affertur Bellarminus, qui L. 6. de Gr. et lib. arb. c. 7. *Dilectio Dei*, inquit, *alia est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteposit; alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.* Et infra: *Dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen caritatis, neque implet legem, neque conveniunt illi encomia, quæ passim tribuuntur in divinis litteris caritati: tamen ex iisdem locis convincitur, imperfecta illa dilectio donum esse Dei, et ex solis naturæ viribus haberi non posse.*

3º Demum inchoata Dei dilectio dici potest actus spei, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligimus: ubi Deus est objectum materiale, et finis, qui propter se ipsum diligitur, cum idem sit objectum formale hujus actus: qui in hoc unico a caritate perfecta deficit, quod in Deum non feratur tanquam in proximum finem cui, sed proximum subjectum cui sit amans ipse. Unde ista dilectio amor concupiscentiæ nuncupatur; cum e diverso caritas perfecta, qua erga Deum, etiam ut *subjectum cui*, bene afficimur, amor benevolentiæ atque amicitæ dici mereatur.

165. *Dico I.* Ut imperfecta contritio sit proxima dispositio ad gratiam absolutionis accipiendam, aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem debet includere.

*Prob. I.* Non minor dispositio ad peccatoris justificationem requiritur in Pœnitentiæ sacramento, quam in Baptismo: atqui in hoc requiritur, ut peccator Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, ex Sess. 6. c. 6. Trid.; ergo multo magis hoc opus in sacramento Pœnitentiæ.

*Prob. II.* Ad omnem adulti justificationem requiritur vera et propria ad Deum